



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Die Universität Paderborn

Quellen und Abhandlungen von 1614 - 1808

Freisen, Joseph

Paderborn, 1898

X. Notae ad Calendarium Scholasticum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-8008

- C 26. S. Stephanus pro Grammaticis sacrum hora 7^{ma}, dein exhortatio; pro reliquis praevia mediae horae exhortatione sacrum musicum 8^{va}. a prandio pro Grammaticis hora 2^{da} Catechismus: pro ceteris hora 5^{ta} Laudes.
- D. 27. S. Joannes Evangelista. pro Grammaticis sacrum hora 7^{ma}. pro aliis musicum 8^{va}. a prandio ut heri.
- E. 28. SS. Innocentes est fori. Pro Grammaticis est sacrum hora 7^{ma}. pro reliquis 8^{va}. non musicum. a prandio Laudes arbitrariae.
- A. 31. S. Sylvester est fori. pro Grammaticis sacrum hora 7^{ma}. dein exhortatio — pro reliquis praevia mediae horae exhortatione, sacrum hora 8^{va}. a prandio Catechismus.

X.

Notae ad Calendarium Scholasticum.

Die Notae ad Calendarium Scholasticum sind wie die Calendarien mehrfach von verschiedener Hand und in verschiedener Zeit durchkorrigiert worden. Sie sind nichts Anderes als ein im Zusammenhang, unter einzelnen Kapiteln, dargestelltes Calendarium, und kann man das letztere leicht aus diesen Notae vollständig anfertigen. Die mir vorliegende Handschrift in dem Sammelband der Theodoriana Pa. 55 ist von derselben Hand gefertigt wie das vorher abgedruckte 3. Calendarium und dürfte aus der zweiten Hälfte des 17. Jhdts. stammen. Das ergibt sich aus der Bemerkung in Nota 3: ita Servari coeptum ao. 1659 und aus der Bemerkung in Nota 14: relicta ao. 1629 et 1650. Die Calendarien und Notae geben ein genaues Bild von dem inneren Leben der Paderborner Universität. Die minutiöse Genauigkeit, mit der auch das kleinste Vorkommnis geregelt war, verhinderte Willkürregiment und könnte mancher Bildungs-Anstalt unserer Zeit zum nachzuahmenden Muster dienen.

Notae ad Calendarium Scholasticum.

N. 1. Affixio.

§ 1. Affigunt Primani circa Festum S. Ignatij intra Scholae parietes epistolas et carmina correcta a Magistro, sine picturis, ornatu et sumptu.

§ 2. Affigunt prosam et carmen latine et graece bis aut ter in anno; semel circa Christi et B. V. Nativitatem Rhetores et Humanistae sua et doctiora, lecta tantum non limata a Magistro, intra Scholae parietes sine picturis, ornatu et sumptu.

§ 3. Rursus feria VI. post festum Nativitatis S. Joannis Bapt., qua celebratur Processio cum Venerabili Sacramento ad nostram et alias urbis ecclesias, Rhetores et Humanistae sua, quae Magistri correxerint, et duo Censores approbarint, cum eo sertorum et picturarum numero, quem singulis Scholis R. P. Rector permiserit, sumptu tamen moderato et per adolescentes facto. Illa in area Gymnasij suspenduntur, cum aura favet, alias in aula. 14^o die tolluntur, vesperi quotidie circa sextam reponuntur in aula Theologica, et mane circa sextam expnuntur. ¹⁾

N. 2. B. Aloysius.

Si in feriam incidat, ex peculiari indulto Adm. R. P. N. vacatur a lectionibus profanis, quando Studiosi frequentes communicant. Legitur liber spiritualis vel habetur pia Exhortatio hora dimidiata, hora 8^a canitur Sacrum, hora 2^{da}. Vesperae. Si incidat in Dominicam, servatur ordo Dominicalis, praeterquam quod canatur Sacrum, et Vesperae loco catechismi.

N. 3. Ascensus et Renovatio studiorum.

Primo die non impedito post Commemorationem fidelium animarum promulgatur ascensus. Sacrum Musicum de Spiritu S. hora 7^a. cui intersunt omnes studiosi. A Sacro Humaniores ducuntur ad Aulam ubi promulgantur nomina eorum qui ad altiorem classem admissi sunt, praesentibus Professoribus. Ita servari coeptum Ao. 1659. Postridie medio 7^{ae}. pulsatur omnibus ad scholam. Educuntur a Praefecto Scholarum discipuli ad altiores classes incipiendo a Physicis, Logicis, Rhetoribus etc. et singulis assignantur sui Professores. Philoso-

¹⁾ Eine Randnote von derselben Hand lautet: rami, quibus ornant locum affixionis, procurantur ab ipsis discipulis, ceduntque collegio post lapsam affixionis octavam.

phi postquam in suas scholas introducti, hora 7^a. audiunt sacrum, reliqui pro oportunitate ante vel post introductionem. A prandio vacatur.

N. 4. Caniculares.

Inchoantur festo S. Liborij, et finiuntur festo Assumptionis B. V. Alternis diebus docent Professores Theologiae Scholasticae; alternis item Scripturae et casuum,¹⁾ item matutino tempore Physices et Mathematicae, vel hi duo dividunt horam matutinam. Cessant Disputationes hebdomadariae, Repetitiones Scholasticae et Scripturae, casuum collatio, lectio et academia Hebraica. Finitis canicularibus intermissa exercitia omnia resumuntur. Humanioribus nihil detrahitur nisi R. P. Rectoris iudicio sit magnus aestus, quo casu mane media hora citius dimittuntur, et a meridie una hora serius accedunt ad lectiones.

N. 5. Casuum collatio.

Habetur omni die lunae ab hora 5^a. pomeridiana. Eorum argumentum triduo ante proponitur loco thesium. Intersunt omnes Theologiae studiosi, et Collegij Patres, ijs exceptis qui docent, aut quos iuxta regulam Superior exemerit. Si dies lunae est impedita, habetur die Martis.

N. 6. Catechismus.

§. 1. Sabbati a meridie recitatur Catechismus in omnibus, etiam tribus Philosophiae classibus, quando autem a Philosophis propter disputationem hebdomadariam recitari nequit a meridie, recitatur mane: In classibus Grammaticae quotidie; apud Rhetores et Humanistas etiam Dominicis et festis, quibus Catechismus habetur.

§. 2. Omni Dominica et festis Apostolorum, nisi sint Vesperae aut aliter notetur in Calendario, festis item S. Josephi, Inventionis S. Crucis, S. Laurentij docetur hora 2^{da}. Catechismus apud coniunctos Philosophos, alio item loco ijsdem diebus et festo S. Silvestri apud coniunctos Rhetores et Humanistas: apud illos triennio, apud hos biennio absolvitur dictando. Iisdem diebus et alijs festis quibus sunt Vesperae, Magistri Grammaticae suos docent singuli; in festis tamen solemnioribus

¹⁾ Eine Randnote von anderer Hand lautet: Si collatio casuum haberi non potest die Lunae, habeatur die Martis non obstante eo quod isto die habeatur circulus juxta R. P. provincialis.

quibus mane non est habita Exhortatio potest ea substitui in locum Catechismi, apud Primanos et 2danos semel; apud Tertianos bis in anno sine dictatione decurritur Catechismj explicatio.

N. 7. S. Catharina.

Biduo ante affigitur programma. Pridie lectio hora 1a. hora 2da in aula habetur Panegyris S. Catharinae ab aliquo Magistro AA. vel Baccalaureo. Intersunt epomidati R. P. Rector cum Doctoribus et Professoribus Theologiae, alijsque Patribus ad unum latus: Decanus cum Professoribus Philosophiae et Humaniorum ad alterum: et Auditores Theologiae, Philosophiae, Rhetoricae et Humanitatis. Finita Panegyri studiosi per portam exteriorem ducuntur ad Litanias, Nostri per interiorem redeunt ad Collegium. Si pridianus dies sit Dominicus, Panegyris succedit in locum Catechismi.

N. 8. Cineralia:

§. 1. Die Jovis ante Cineres vacatur toto, et antecedente Martis medio. Si tamen festum S. Matthiae ista septimana incidat in diem veneris, vacabitur tantum die Mercurij toto; si in diem Iovis, omittitur Catechismus, et die Martis vacatur tantum medio.

§. 2. Triduo Antecinerarium. Indulgentiae Plenariae. Oratio 40. horarum. Sacrum Musicum hora 8. Laudes hora 5. (die Martis hora 3a.) Hoc triduo ita vacant studiosi, ut tamen Sacro et Vesperis intersint, et statutis horis orent classes, iuxta designationem Praefecti Scholarum. Omnes autem in Scholis colliguntur et a Professoribus ad templum locaque designata deducuntur.

§. 3. Die Mercurij: hora 7. Grammatici, hora 8a reliqui in suo quique Sacro accepturi cineres accedunt ordine ducto a Superioribus Scholis. Non docetur mane, a prandio hodie et deinceps (exceptis Sabbatis et profestis quibusdam) usque ad vacationes autumnales lectiones inchoantur hora 2da. ¹⁾

§. 4. Jovis post Cineres vacatur a meridie tantum, nisi festum S. Matthiae incidens post diem Cinerum ante Dominicam Invocavit hanc vacationem impediatur.

§. 5. Die Veneris post Cineres canitur psalmus Miserere.

¹⁾ Ausgestrichen sind die Worte: Si festum S. Matthiae incidat in illum diem, ob Communionem Cineres distribui possunt ad gradus chori vel alibi.

N. 9. Communio S.

Solemnioribus diebus quibus plerique studiosi communicant, ordine a superiore classe ducto sensim et graviter studiosi accedunt ad Summum altare: ita ut Externis modeste cedant, nec compressio fiat.

N. 10. Concio.

Omni Dominica, nisi aliter notetur in Calendario, hora 7 est Concio latina in aula, cui intersunt Philosophi, Rhetores et Humanistae, assidentibus ex opposito discipulorum Professoribus. Interea Grammatici Sacrum audiunt, eoque absoluto revertuntur ad Scholam, in qua singuli a suis Magistris audiunt explicari Evangelium, in prima et 2da latina, in Tertia vernacula lingua per mediam circiter horam, dato deinde campanae signo dimittuntur.

N. 11. Confessio S.

Confessionis, quae quolibet mense peragenda est, tesseræ¹⁾ examinantur post primam in mense Dominicam.

N. 12. Congregationes Academicae.

Ad conventus singularum Facultatum conveniunt, qui sunt de consilio illarum; et conventum Universitatis, qui sunt de consilio utriusque Facultatis, et si in auditorio aliquo conventus habeatur, praecedit Pedellus cum Sceptro.

N. 13. Custodes Scholarum.

§. 1. Post renovata studia Praefectus Scholarum cum consilio Magistri constituit in qualibet Schola e Pauperibus fidum aliquem custodem et cum consilio Pedelli fidum et maturum aliquem totius Gymnasij curatorem sive Clavigerum. Custodum est, tempori ante alios adesse; candelas, quas ex collata discipulorum pecunia emunt, collocare, accendere, remove; Scholam et Professoris Cathedram munda servare; in Philosophia bis vel ter qualibet hebdomade, alias Scholas quotidie, si desint, qui purgent, verrere, claudere, aperire, firmare fenestras; Scholae supellectilem asservare; aulam, gradus, aream et caetera quae communia sunt, prout Praefectus ordinaverit, certo tem-

¹⁾ Auf einem angehefteten Zettel des Mnsch. Pa. 55 ist der oben S. 93 Anm. 1 abgedruckte Beichtzettel aufbewahrt. Der Zettel wurde dann benutzt, um die unten S. 149 Anm. 1 mitgeteilte Note darauf zu notieren.

pore verrere, iuvare cum drama exhibendum aut carmina etc. affigenda sunt.

§. 2. Communis Curatoris seu Clavigeri est, ad Scholas pulsare, eas aperire, claudere, lumina communia ante ingressum (v. g. in aula ante concionem) accendere: post egressum Magistrorum obire, lustrare an Singuli custodes officio fungantur, aream Gymnasij mundam servare, Scamna pro communibus actibus disponere, in iisque iuvare: omnia quae ad Gymnasium spectant suo quaeque loco custodire, denique providere, ne ianuae et fenestrae tempestati iactandae exponantur.

§. 3. Claviger alendus est a Pedello ex collecta, quam bis quovis anno accipit a singulis classibus iuxta stat. Universitatis c. 8. Pro custodibus singularum Scholarum solet bis in anno institui collecta singularum Scholarum, quarum qualibet singuli dant unum grossum.

N. 14. Declamationes.

§. 1. Declamationibus mensuris et hebdomadarijs initium datur 1a vel 2da hebdomade Decemb., in his nihil, in illis sola dicentis cathedra tapete insternitur.

§. 2. Nulla potest esse Scenica sine venia R. P. Rectoris. Scenica esse censetur, quando locus theatro praeparatur et studiosi alijs quam suis vestibus utuntur. Juxta memorialia Provincialium huic Collegio relicta Ao. 1629 et 1650 permittitur, ut bis in anno aliquid scenice exhibeatur.

§. 3. Hebdomadaria habetur alternis (simul quantum fieri commode potest computando menstruas) a Rhetoribus et Humanistis coram utraque Schola coniuncta ultima media hora lectionis omni Sabbato per festum non impedito, nec omittitur propter affixionem, aut caniculares nisi expresse notetur omittenda; ut in hebdomade qua sunt Natalitia, Cineralia, Pascha, Pentecoste, et huius vigilia, et nisi ista hebdomade fuerit menstrua.

§. 4. Menstruum non convenit haberi die Lunae. Quia theatrum vel erigitur die sabbathi vel solis, si sabbathi, impedimentum iniicitur Concioni et utrique sodalitati, tam civium, quam Ecclesiae, si solis, violatur sabbatum labore aliquot horarum non necessario. Non est autem tanti declamatio, ut concio et utraque sodalitas propter illam patiat incommoda, cum alio die haberi possit.¹⁾

¹⁾ Note auf einem Beiblatt von derselben Hand: N. 14 Declamationes. iuxta P. Mulman addendum ad § 4 — aut duobus integris diebus

§. 5. Menstrua habetur omni mense, Novembri et octobri exceptis, semper a meridie post unius horae lectionem, duratque per horam tantum. Habet in ea partes suas lingua graeca. Intersunt illi Philosophi, Rhetores et Humanistae. Professor Rhetoricae, cuius ea propria est, Patres e Collegio ad eam invitavit et inducit.

§. 6. Si praevideatur finem alicuius mensis Cineribus, Sanctiore hebdomade impediendum, erit initio istorum mensium Declamatio. Si ista impedimenta initio mensis alicuius occurrant, rejicitur in finem mensis Declamatio.

N. 15. Demonstratio.

Demonstratio Mathematica minimum semel hieme semel aestate habetur (iuxta Memoriale Provincialis ai. 1627.) post unius horae lectionem per horam tantum a meridie. Intersunt Philosophi. Qui demonstrant aliquid temporis concedunt condiscipulis ad dubia movenda. Propositiones demonstrandae uno die ante domi et in area Scholarum proponuntur.

N. 16. Dimissio Metaphysicorum.

Ea habetur 23^o. Jun. aut si hic sit Dominicus, 22^o. in aula Gymnasij exornata. Actus durat a 7^a. ad med. 9^{ae}. Intersunt Theologi, Physici, Logici, Rhetores, Humanistae. Patres e Collegio invitati et si quis honoratus auditor interveniat, considerent ad latus vergens versus Collegium. In hoc actu Metaphysici erudite discunt de studijs, congratulantur, valedicunt et Superioribus ac Professoribus gratias agunt. Medio 9^{ae}. Dimissi cum alijs praesentibus auditoribus audiunt Sacrum. Reliqua vide in stat. Facult. Phil. c. 2. §. 5. A prandio docetur in omnibus classibus.

Festo Nativ. S. Joannis Bapt. e Gymnasio educti et honorifice in Scamnis per ipsos exornatis ante summum altare collocati, post elevationem ante alios communicant; Illi porro, qui Communionem neglexerit, neque alio statuto die coram

cessatum fuerit a lectionibus profanis, quod ultimum tamen ita limitatur, ut si tales hebdomadae duae continuentur, in posteriore saltem Declamatio ordinaria non cesset. Caeterum observari debet alternatio, ut et Rhetores hebdomadarias suas menstruis et Humanistae suas vices quibuscunque Rhetorum declamationibus interponant, dummodo per hoc 1^a et ultima menstrua (quarum illa in Decembri, ista in Septembri mense habenda est) non impediatur. Atque ita accipienda sunt notationes, quae menstruas singulis mensibus assignant; si videlicet salva ista vicissitudine haberi possint. §. 4. des Textes ist von anderer Hand geschrieben.

testibus suppleverit, negatur Testimonium studiorum, a quo rigore non facile recedendum. Nihil permittendum, ut in templo extra ordinem struant sive pendant, aedificent, sed scamna tantum tapetibus insternuntur, alioqui paulatim aemulatio annua sine modo excrescit.¹⁾

N. 17. Disputationes.

§. 1. Disputatio Hebdomadaria habetur in Theologia et Philosophia omni Sabbato non impedito aliquo festo, et nisi illa hebdomade fuerit menstrua. aut festus dies cum die vacationis: quod si accidat tribus hebdomadibus continuis, una interponitur disputatio. Habetur in Theologia a prandio sesquihora eo tempore quo vel Scriptura vel Casus doceri solent. Professor Theologiae Scholasticae qui a meridie praesidebit, eo die mane non docet, sed postquam alter a 7^o ad 1^{um} quadrantem post 8^{am} docuit, succedit Professor Scripturae aut Casuum alternis usque ad 9^{am}. In Philosophia durat 2bus horis, in Metaphysica matutinis, in Physica et Logica pomeridianis salva lectione Ethica et Mathematica. Theses singulorum octo ante a Praefecto lectae uno die ante domi et ante Scholas proponuntur. Duo sunt defendentes quando est maior numerus discipulorum, et plures argumentantes.

§. 2. Disputatio Menstrua in Theologia et Philosophia habetur mane et a prandio duabus minimum horis: a Januario vero, quo etiam Logici defendunt usque ad dimissionem Metaphysicorum disputatio Philosophorum durat duabus horis et dimidia, quae datur Logico. Habetur singulis mensibus, nisi interveniant Theses publicae pro gradu, circa initium mensis in Theologia, paulo post in Philosophia. Si Aprilis initium Paschalibus festis impediatur rejicitur disputatio Theologica et Philosophica in posteriorem partem mensis. In hac sicuti Theologorum alter mane, alter a meridie praefando Theses explicat, ita et mane Metaphysicus, a meridie Physicus, et post dimissionem Logicus. Ad Metaphysicum oppugnandum invitatur superioris anni Magister aliquis, aut Theologus, qui simul Thesin Ethicam per quadrantem examinat. Theses 12 et una Ethica Metaphysicorum a Praefecto lectae domi et in area Scholarum biduo ante proponuntur.

¹⁾ Randbemerkung von anderer Hand: NB. rami, quibus vtuntur in dimissione, procurantur legitime ab ipsis, ceduntur collegio. Permittitur tamen ut virgas inde conficiat claviger. Quibus vero vtuntur in promotione procurantur a bidello, ideoque non cedunt collegio sed ipsi bidello.

§. 3. Si qui e Nostris Philosophiam audiant, iisdem mensibus quibus est menstrua, semel in Dominica a 4^a ad 5^{am} habent disputationem domi in orbem, ita ut mense Decembri Metaphysicus, Januario Physicus, Februario Logicus, et sic deinceps defendant, etiam Thesibus propositis et alijs e Collegio ad illas invitatis.

§. 4. Circa initium Junij in aula Academica habentur disputationes thesibus impressis ex tota Philosophia duabus horis matutinis vel etiam pomeridianis, quarum singulis, vel duabus horis singuli defendant et binis illis horis tres fere argumententur. In ijs Praeses utitur ornatu academico uti et defendentes, si quem gradum habent; non alij Professores vel argumentantes vel auditores. Intersunt his Disputationibus Theologi et omnes Philosophi. Theses non debent fere plures esse quam 50 quae antequam imprimantur¹⁾ a Cancellario et tribus alijs a

¹⁾ Aus der Jesuitenzeit habe ich kein Exemplar solcher gedruckten Thesen finden können, wohl aber besitze ich drei Exemplare aus nachjesuitischer Zeit. Dieselben sind in Quartformat ohne Seitenzahl.

a) Der Titel des einen anno 1800 lautet: Propositiones ex Tractatu de Locis Theologicis quas in aula publica almae ad Paderam Universitatis Theodorianae anno 1800 die 19 et 20 Mensis Augusti exponebant, propugnabant praeside Stephano Rehlard, Sstae Theologiae Doctore, ac Professore P. O. Sstae Theologiae Auditores AA. LL. ac Phisosophiae Magistri, et Seminarii Episcopalis Alumni D. Ludovicus Massen, Salzkottensis, D. Henricus Driike, ex Alfem, R. D. Franciscus Linnemann, Paderanus, S. R. E. Presbyter, Beneficiat. in Bustorf, D. Antonius Holtgrève, Paderanus, D. Wilhelm. Niggemeyer, ex Schwaney, D. Joannes Stricker, Brakelensis, D. Hermannus Puls, ex Elsen. Typis B. C. Schlegel, Typogr. Universitatis.

Es folgt dann folio verso: Sectio I. De sacra et divina Scriptura, 7 §§ (in 52 Thesen), Sectio II. De Traditione, 3 §§ (in 11 Thesen), Sectio III. De vera Christi ecclesia, 8 §§ (in 88 Thesen), Sectio IV. De SS. Patribus, Doctoribus, et Scriptoribus Ecclesiasticis (in 11 Thesen), Sectio V. De usu Rationis in Theologia Christiana (in 18 Thesen). Als Anhang noch viele Thesen über das Verhältnis der Philosophie zur Theologie.

b) Der Titel des anderen Exemplares anno 1804 lautet: Jus Ecclesiasticum Publicum Internum quod in aula Publica Almae ad Paderam Universitatis Theodorianae Anno 1804 mense Julio exponebant Juris ecclesiastici Auditores, AA. LL. ac Philosophiae Magistri et Seminarii Episcopalis Alumni D. Antonius Eikernkötter, D. Christianus Wichmann, Paderani. Examinabant D. Henricus Kayser, ex Allendorf. D. Josephus Strider, Paderanus, D. Josephus Schulze, Paderanus. D. Josephus Bessen, ex Siddessen. Juris Eccles. Aud. AA. LL. ac Philosophiae Mag. vel Bac. et Semin. Episcop. Alumni. Typis B. C. Schlegel, Typogr. Universitatis.

Es folgt dann folio verso: § I. Jura Primatis Ecclesiae (9 Thesen), § II. Collegium Cardinalium (mit mehreren Thesen), § III. Legati ac Vicarii Primatis (ebenfalls mehrere Thesen), § IV. Patriarchae, Metropolitan

Superiore designatis censi debent. Examen pro his disputationibus instituitur post Pascha. Reg. Praef. 23. Examinatores vel arbitri sunt 5. Examinantur singuli per unam horam vel 3 quadrantēs circiter praesentibus Condiscipulis. Ad Theses non admittuntur nisi selecti qui supra mediocritatem profecerint nec ordinarie admittuntur plures quam 6. Quando mane tantum est disputatio, docetur a prandio in tota Philosophia. Caetera vide Praefecti stud. reg. 19 et seqq. et Stat. Philos. c. 2 et 4. Honorariam mense Septembri ex Logica thesibus scriptis vel impressis instituere disputationem, arbitrarium est.

§. 5. Quando Humaniorum Scholarum una contra aliam disputat, semper inferior quae provocat materiam disputationis prius ab alterius Scholae Magistro et a P. Praefecto visam, octavo ante die mittit ad Superiorem Scholam. Ipsa disputatio habetur a meridie post unius horae lectionem usque ad finem Scholarum, in alterutra classe concertantium, quae capacior aut commodior habetur.

N. 18. Examina.

§. 1. Logici pro Physica examinantur sub finem Septembris. Physici pro Baccalaureatu examinantur statim post Kalendas Maij, facta ipsis Kalendis Praesentatione: Metaphysici pro Magisterio statim post festum Nativ. S. Joannis Bapt. facta

etc., § V. Jura Episcoporum, § VI. Episcopi Titulares, Chorepiscopi, Coadjutores et Vicarii, § VII. Canonicorum Capitula, § VIII. Parochi alique Curati, § IX. Clerus praelatique Regulares.

c) Der Titel des dritten Exemplares anno 1807 lautet: Propositiones Canonicae et his connexae de Matrimonio quas in Aula Publica Almae ad Paderam Universitatis Theodorinae anno 1807 Mense Augusto Praeside P. Xaverio Drolshagen Franc. S. O. Sstae. Theol. Doctore, ac Juris Eccles. Professore P. O. Exponebant Jur. Eccles. Auditores, Seminarii Episcopalis Alumni: R. D. Josephus Bessen ex Siddessen, Sacerdos, D. Antonius Heidenkamp Paderanus, D. Antonius Peine Nieheimensis, D. Josephus Brand Paderanus. Examinabant: D. Casparus Kloppenburg ex Wewelsburg, D. Antonius Urban Warburgensis, D. Conradus Gieseke Delbruggensis, D. Hermannus Giesen Lichtenavius. Juris Eccles. Auditores, Seminarii Episcopalis Alumni. Typis B. C. Schlegel, Typogr. Universitatis.

Es folgt dann folio verso: § I. De Matrimonii Essentia et Existentia, § II. De Impedimentis in genere, § III. De Impedimentis Dirimentibus (Impotentia, Ligamen, Votum Solemne Castitatis Perfectae, Caelibatus, Cognatio Naturalis, Cognatio spiritualis, Cognatio legalis, Affinitas, Publica honestas, Crimen, Raptus, Cultus disparitas, Metus, Error, Conditio, Clandestinitas). § IV. De Impedimentis prohibentibus. § V. De Impedimentorum Dispensatione. § VI. De Sponsalibus. § VII. De Proclamationibus. § VIII. De Contractu Matrimoniali. § IX. De Judice Causarum Matrimonialium. § X. De Divortio.

pridie festi praesentatione. Haec examina fiunt in Schola coram condiscipulis. Caetera vide in stat. Philos. c. 2. De Examine pro thesibus impressis vide n. 17. §. 4.

§. 2. Examen Humaniorum inchoatur a Tertiâ circa medium Augusti citius vel serius pro numero discipulorum et finitur aliquot diebus ante finem Septembris. Mittuntur ad illud secundum ordinem Alphabeti in catalogo servatum instructi libris, praeceptis, auctoribus eo anno explicatis; argumentis et catecheticis eo anno exceptis; singulis horis ex Tertia noveni, ex 2da octoni, ex Prima septeni, ex Humanitate seni, ex Rhetorica quini.

Examina Nostrorum vide in Calend. Coloniensi.

N. 19. Exhortatio.

§. 1. Exhortatio seu concio mediae horae in Philosophia Rhetorica et Humanitate a medio 8ae ad 8vam, in Grammaticis post Sacrum hora 7a auditum habetur a singularum Classium Professoribus, aut alijs a R. P. Rectore substitutis festis Sanctorum, quibus notatur in Calendario.

§. 2. Exhortatio habetur ultima media hora lectionis, etiam secundum regulam in Scholis Philosophicis saltem pridie 4. anni Solemnitatum et aliorum dierum Solemniorem, ut sunt festa Christi, B. Virginis, Dominicae Dedicationis, Quinquagesimae, et tunc potissimum quando sequenti mane non est concio in Gymnasio.

§. 3. Sabbato semper ultima media hora lectionis pomeridianae Humaniorum Scholarum Magistri habent piam cohortationem vel doctrinae explicationem. Id facient, occupando se circa discipulos formandos in moribus, reverentia, pietate, ministerio Sacri, semel in mense legendis regulis, vel lectione libri spiritualis, vel examinandis ijs qui confessionem menstruam neglexerunt, vel denique alia pia cohortatione habenda, nisi ea pridie festi alicuius aut festo ipso in hebdomade sit habita.

N. 20. Festa.

§. 1. Pridie Festorum B. V. quae celebrantur in foro, a prandio manetur in Scholis etiam Philosophicis per horam et mediam tantum. Medio 3ae canuntur Litaniae. Idem fit pridie aliorum festorum Solemniorem, ut notatur suis locis.

§. 2. Si festum Xti. D. vel B. Virg. incidat in Dominicam, est Concio, uti in Dominica; sed non Catechismus. Si Festa aliorum Sanctorum incidant in Dominicam, est concio et Catechismus, uti in Dominica.

N. 21. S. Franciscus Xaverius.

Pridie hora 1^a lectio, sub finem horae legitur vita Sti, aut est Exhortatio ad Indulgentiam et Communionem. Hora 2^{da} ducuntur ad Vesperas. Si pridianus dies sit Dominicus, omisso apud Superiores catechismo hora 2^{da} sunt Vesperae. Ipso diē hora 7. audiunt Sacrum Grammatici in quo ab Elevatione per designatum distribuitur communio. Ijdem a Sacro redeunt ad Scholas usque ad medium 9^{ae}. Reliqui hora 8 intersunt Sacro Musico, deinde concioni in templo. A meridie hora 1^a lectio, hora 2^{da} Vesperae.

N. 22. Funera.

Quando discipulus aliquis non Sodalis moritur extra tempora pestis, illius tantum Scholae in qua fuit discipuli funus prosequuntur. Magistro Scholae cum Socio e Nostris comitante. Sodalem mortuum comitantur sui Sodales.

N. 23. Gymnasium.

§. 1. Aperitur per Clavigerum semper media hora ante initium lectionum aut aliarum exercitationum Scholasticarum. Clauditur mane quam primum exiverunt discipuli: a meridie media hora post finitas lectiones.

§. 2. Scholae dum docetur, aut in ijs declamaturi exercentur, clausae quidem sunt, sed non obseratae, ut foris aperiri queant, nec auditur discipulus aliquis solus a Magistro, sed coram vel socio e Societate vel quinis aut senis adolescentibus. Professores omnes post dimissos discipulos a meridie prout finiuntur scholae hora 4^{ta} vel 5^{ta} domi sunt: si diutius exercendorum causa manere debeant, P. Ministro constabit, quo loco exercentur.

§. 3. Cum purgandae sunt scholae, omnes asperguntur aqua prius, et fenestrae aperiuntur per custodes scholarum; qui easdem rursus claudunt, aut firmant. Gradus ad Metaphysicam superiore parte purgat custos Metaphysicae, inferiore parte custos Physicae, gradus ad 1^{am} purgant, partiendo inter se Scholarum conterminarum custodes.

N. 24. Habitus Academicus.

Facultatis Theologicae est, partim Epomis et pileus violacea, partim epomis et pileus nigra sub colore distincta. Facultatis Philosophicae et Magistrorum Philosophiae et AA. LL. est epomis nigra limbis caeruleis distincta et pileus caeruleus. Utraque Facultas utitur habitu Academico in actibus Promotionum Doc-

toratus aut Licentiae Facultatis; in Sacro Academico, Patrocinij etc. vide statuta. Item Praeses in disputationibus ex tota Philosophia: defendens autem si Baccalaureus Philosophiae sit, sola epomide super brachium. Promotor item cum socio invitantes ad actum Magisterij, alij invitantes Baccalaurei epomide sola.

N. 25. S. Ignatius.

In vigilia. Hora 1. lectio. Sub finem horae legitur vita Sancti aut est Exhortatio ad Indulgentiam et Communionem. Philosophi media hora serius propter Caniculares adeunt Scholam. Hora 2^{da} ducuntur ad Vesperas. Si vigilia cadat in Dominicam, omisso apud superiores catechismo, sunt vesperae hora 2^{da}.

Ipsa festo Grammatici hora 7. audiunt Sacrum, deinde Exhortationem. Reliqui Sacrum musicum hora 8^a deinde Concionem Germanicam in templo. A prandio hora 2^{da} sunt Vesperae. Non docentur profana hoc toto die.

N. 26. Invitationes.

Ad actum Magisterij Promotor, cuius socius ordinarie est Professor Physices, praeunte Pedello cum scepro, et sequentibus 4 Baccalaureis et 4 Physicis, invitat Illmum Principem et Praelatos: Rectorem item Magn., Cancellarium, Facultatem Theologicam et Philosophicam. Ultimo die Pedellus cum similibus 8 candidatis invitat reliquos. Vide stat. Philos.

Ad promotionem Doctoralem in Theologia Promotor in habitu Academico comitatus Candidato epomide Baccalaureali amicto, et uno vel altero externo Theologiae Doctore vel Licentiatum cum suis ornamentis, praeunte Pedello cum scepro, invitat primo die Illmum Principem (si adsit in urbe vel Newhusij), tum praecipuos Praelatos, Suffraganeum, Abbatem, Praepositum, Decanum. Deinde idem Externus Doctor vel Licentiatum cum Pedello, et aliquot graduatis inferioribus invitat caeteros. Vide stat. Theolog. (Von späterer Hand: Invitatores ante coenam debent rursus adesse in Collegio iuxta memoriale Ao. 1670. 5. Sept.).

N. 27. Lectiones.

§. 1. Lectiones Theologiae Scholasticae durant duabus horis et media: 1^a alter Professorum dictat et explicat per horam, 5^{to} quadrante repetit aut curat relegi lectionem, movet et solvit dubia; omnia eadem facit Succedens alter.

§. 2. Lectio S. Scripturae durat per 3 quadrantes a 2^{da} (vel 1^a) ad tertium quadrantem. Bis vel ter in anno habetur

per horam lectio Scripturae honoraria ab auditore Scripturae, cui omnes Theologiae studiosi intersunt idque Sabbato ab 8^a ad 9^m, quando propter Disputationem pomeridianam alter Theologiae Scholasticae Professor non docet, vel alio die et hora commoda. 1^o. explicatur Scriptura: inde disputatur.

§. 3. Lectio Casuum succedit Scripturae per tres quadrantes.

§. 4. Lectio Hebraica deinde mediam tenet horam ultimam a medio 4^{tae} (vel 3^{ae}) ad horam 4^{tam}.

§. 5. Scripturam audiunt tertij et quarti anni Theologi, Casus primi et 2^{di} anni. Hebraicum soli 2^{di} anni.

§. 6. Lectiones Philosophicae omnes durant aequaliter, id est ordinarie duabus horis mane, totidem a meridie.

§. 7. Metaphysicus mane dictat 1^a hora, 2^{da} hora tota repetit et disputat. A meridie 1^a hora dictat, 2^{da} per quadrantem repetit. Inde per tres quadrantes dictat et repetit Ethicus.

§. 8. Physicus mane 1^a hora dictat, 2^{da} per quadrantem repetit. Inde per tres quadrantes dictat et repetit Mathematicus. A meridie dictat 1^a hora. 2^{da} repetit et disputat.

§. 9. Logicus incipit dictare circa festum Immaculae Conceptionis B. V. 1^a hora dictat, 2^{da} repetit et disputat.

§. 10. Lectionis Humaniorum Classium durant duabus horis et dimidia mane et a prandio.

§. 11. Lectiones omnes inchoantur a cruce, quam formant Professor et discipuli: extra Scholam Theologicam etiam ab oratione cuius diei propria, quam etiam Philosophi flexis genibus audiunt. Finiuntur antemeridiana Sacro (Tertia et 2^{da} Sacrum praemittunt actionibus ordinarie), pomeridiana antiphona B. V. pro diversitate temporum, qui mos orandi etiam tenetur Dominicis et festis, in catechismo et disputatione menstrua. Qui ad Concionem serius accedunt, orant priusquam alijs se conjungant: qui ad alias Scholarum exercitationes privatas, orant, flectuntque, donec aut mulctam pendant aut iubeantur a Professore considerare.

N. 28. Lectores Medij.

§. 1. Ethicus docet in Metaphysica a meridie tribus ultimis quadrantibus a primo die post renovata studia usque ad dimissionem Metaphysicorum, quando extra Caniculares una tantum hora est lectio, non docet. Cum sesquihora est lectio, docet duobus quadrantibus, quando a meridie est Exhortatio docet primis tribus quadrantibus, aut si sesquihora est lectio, duobus tantum, etiam sabbato.

§. 2. Mathematicus docet in Physica tribus ultimis qua-

drantibus matutinis a primo die post renovata studia. Quando extra Caniculares tantum una hora est lectio, non docet; quando sesquihora, duobus tantum quadrantibus.

§. 3. Graecae linguae Professor docet a 1^o die post renovata studia in Rhetorica prima hora matutina: in Humanitate 1^a hora pomeridiana lectionum. Quando est declamatio menstrua, quando Humanistae disputant contra Rhetores, docet media tantum hora a meridie in Humanitate. Idem facit omni Sabbato et profestis quibus habenda est a meridie Exhortatio. Quando docetur tantum una hora, non docet. Quando docetur sesquihora, docet tribus quadrantibus.

N. 29. Litaniae.

Sabbatis hora tertia cantantur Litaniae Lauretanae in templo. Ijs intersunt Philosophi, Rhetores, Humanistae: et apud Philosophos quidem lectiones inchoantur medio 2^{dae}. Eaedem canuntur post lectionem sesqui horae pridie festorum Christi, B. Virg., SS. Petri et Pauli Apostolorum, S. Michaëlis, Omnium Sanctorum, S. Catharinae. Quando autem est lectio sesquihorae, aequali tempore est lectio apud Philosophos. Grammatici diebus iam dictis easdem Litanias recitant privatim in Scholis. Quando eodem die sunt Litaniae et Miserere, possunt Litaniae continue cani post Miserere, et tunc Scholae Philosophicae, quae non intererunt Miserere, ordiuntur lectiones pomeridianas cum alijs hora 1^a. Quando a prandio sunt Catechismus et Litaniae; ille habetur hora 2^{da}, hae medio 3^{tiae}.

N. 30. B. B. Martyres Societatis Jesu.

Docetur a 7^a ad 8^{am}, qua itur ad Sacrum musicum. Grammatici audito hora 7^a Sacro continuant lectiones ad horam 10^{am}. A meridie docetur. Si incidant in dominicam, omnia more Dominicis consueto, sed habetur Sacrum musicum.

N. 31. Matricula seu inscriptio.

Primo die Dominico vel festo post renovata studia loco Catechismi superiorum Scholarum hora 2^{da} publice in aula leguntur statuta Academica. Intersunt Philosophi, Rhetores, Humanistae cum suis Professoribus. Deinde fit immatriculatio. Philosophiae studiosi omnes coguntur inscribi in Matriculam, quibus interdicitur ne prius publicas lectiones audire pergant, quam id factum sit, caeteris liberum est. Immatriculantur etiam Nostri hic defensuri, gradum accepturi, lecturi in quacunque

Facultate. De ordine et modo immatriculationis vide in Matricula.

N. 32. Miserere.

Miserere psalmus 50. canitur in templo hora 5^{ta} feria 6^{ta} post Cineres et deinceps in 40^{ma} ferijs 6^{tis} et Dominicis et festo Annuntiationis B. V. et quotidie a feria sexta ante Dominicam Judica usque ad diem Veneris Sanctum inclusive. Intersunt Miserere binae Scholae per ordinem; Methaphysici et Tertiani; Physici et 2dani etc. Qui intersunt, media hora citius a prandio diebus ferialibus (non Dominicis et festis) egrediuntur e Scholis.

N. 33. Missae Universitatis.

§. 1. Vna habetur festo S. Joannis ante portam Latinam 6. Maij hora 7^a, qua ex Aula ad Ecclesiam praeunte Pedello cum sceptro procedunt Rector Magnificus, Cancellarius, Decani et Professores Theologiae et Philosophiae in habitu Academico, et Theologiae auditores. Hos prosequuntur Metaphysici, Physici, Logici, Rhetores, Humanistae.

§. 2. Altera habetur 28. Aug. in Festo S. Augustini hora 8 post panegyrim de Sancto, procedentibus Rectore Magnifico et Facultate utraque eodem modo, quo supra.¹⁾

§. 3. Tertia habetur 13. Septembris, quo die promulgata est Academia. Ea post lectionem unius horae hora 8^a canitur tantum, neque Academici solenniter in ea comparent. A prandio lectio.

§. 4. In anniversario die obitus Episcopi Theodori Fundatoris 4. Decembris hora 7. Sacrum Musicum funebre pro Fundatore. Intersunt studiosi superiores qui solent sine solemnitate Academica. A Sacro vacatur. I. Dec. Hora prima alias hora prima inchoabitur officium defunctorum, quando totum choraliter canabatur: Nunc cum solae vesperae musice cantentur ab Anno 1677 inchoantur post unius horae lectionem hora secunda.

§. 5. Quarta habetur in festo S. Catharinae. Vide supra N. 7.

¹⁾ Randbemerkung von anderer Hand: NB. in hoc Sacro et Festo S. Augustini in templo Rector Magnificus in genuflexorio tapete strato ante scamnum communicantium flectit, dum facultates utrimque in choro post Rectorem Magnificum in scamnis tapete instratis oppositis sibi invicem vultibus flectunt.

N. 34. Mulcta.

Muletantur discipuli in tribus Philosophiae Classibus; cum sero veniunt aliquot denarijs proportionaliter, cum absunt ab una tantum lectione profana, aut Sacra Catechismi, 1. grosso, cum a sacro simul et concione 2. grossis, a sola concione aut sacro 1. grosso, a disputatione tota die 4. gr. Maiore vel minore pretio cum alijs modis levius aut gravius contra disciplinam Scholasticam delinquant. In ijs culpis, in quibus divitibus mulcta iniungitur, pauperibus mandatur, ut scholam verrant. Mulcta quamvis a Magistro non attingatur iuxta ordinationem P. Oliverij. tamen sub aspectum eiusdem collocatur; inde a fido et honestiore Scholae discipulo asservatur. Cedit denique ad directionem Praefecti, qui taxam mulctae statuit, et Praeceptoris, in varios Pauperum Scholae usus et necessitates sublevandas, sicut et in Salarium custodis et diligentiorum praemia.

N. 35. Nota Linguae.

Nota linguae vernaculae quotidie cum absentijs examinatur in quinque classibus Humanioribus, Rhetorica etc.

N. 36. Praefationes.

Praefantur coram Patribus e Collegio invitatis ad suam Scholam de dignitate scientiae aut facultatis quam profitentur Logicus et Rhetor vel 1^o statim die, vel quando ille incipit, dictare, hic ciceronem explicare. Ethicus in Metaphysica, et Mathematicus in Physica initio anni, Graecus etiam initio anni vel ad coniunctos Rhetores et Humanistas vel ad singulas Scholas sensim.

N. 37. Praemiorum distributio.

Ex anno 1659 in hoc Gymnasio translata est, et praemissa Vacationibus autumnalibus, proinde deinceps

Instituitur pro pridie festi S. Michaelis, vel alio ex ultimis praecedentis festi commodo. Medio 1^{ae} pomeridianae dato 1^o signo ad Scholas congregantur omnes discipuli in suis Scholis. Ante primam deducuntur ad aulam ordine, Theologi, Physici, Logici, Reliqui Humaniores. Actus inchoatur hora 1^a. Si Drama exhibetur, peracta scena; Si Oratio tantum habetur, ea finita, leguntur praemiferi et distribuuntur Praemia. Leguntur etiam aliquorum Nomina, qui proxime ad Praemiferos accesserint. Huic actui praeter Nostros intersunt invitati Externi DD. ac Praemiferorum et Actorum Parentes. Ascen-

dentium Nomina leguntur die Ascensus et Renovationis Studiorum. Vide N. Ascensus. Mane fuit lectio ao. 1659 et 1660. relinquatur hic Spatium 3 linearum.¹⁾

N. 38. Praesentationes.

Candidati Baccalaureatus Kalendis Maij, Magisterij vero in Vigilia S. Joannis post dimissionem praesentantur Decano et Professoribus Philosophiae non ornatis habitu Academico, praesente tamen cum Sceptro et deducente Pedello. Omnes candidati praesentes per aliquem de suo numero petunt sibi aditum ad Philosophicos honores per examen pateferi. Quod ubi impetrarunt, stipulantur non ulturos se si quid praeter expectationem ab Examinatoribus constitutum fuerit, deinde a Decano dicitur illis locus et hora inchoandi Examinis, denique unus Candidatorum Patribus gratias agit.

N. 39. Professio Fidei.

In Musaeo domestico vel conclavi aliquo postridie ascensus ante 1^{am} lectionem medio 7^{ae} edunt professionem fidei studiorum Praefecti et Professores omnes. Ea finita ijdem cum nostris auditoribus Theologiae et Philosophiae omnes simul petunt et accipiunt benedictionem a R. P. Rectore.

N. 40. Promotiones.

§. 1. Promotiones Theologicae instituuntur tempore ante-meridiano. Die Promotionis Doctoralis cantatur Sacrum hora 7., eo finito Promotor cum Candidato solemniter procedit ad aulam; pueris Candidato in pulvinis praeferentibus ornamenta in promotione danda. Omnibus finitis itur ad templum, honoratioribus viris Promotorem et Promotos singulis singulos deducuntibus, et canitur Te Deum laudamus. In Promotione Doctorali et Licentia omnes utriusque Facultatis utuntur habitu Academico. Caeteros ritus habent statuta Theologica.

¹⁾ Randnote von anderer Hand: NB. 1^o. Illi qui testimonia accipiunt de annua commoratione in studio Vniversitatis absque pernoctatione extra urbem intra annum et ultra; sive nobiles, sive ignobiles, dant Rectori Magnifico singuli vnum imperialem, praeter alios sumptus et jura Bidelli, quod ex praxi perpetua ita observatum asseruit 1671. 14. April.

2^o. Similiter Praenobiles, qui accipiunt testimonium cum bulla pendente signatum et subscriptum a Rectore Magnifico, dent imperialem, uti hoc anno 1671, 14. Aug. ex ore Bidelli D. Her. Pöppen retulit, tulitque imperialem a Conrado Philippo a Spiegel ex DesenBerg etc. eunte Roman ad Coll. Germanicum.

§. 2. Promotio Magistrorum et Baccalaureorum Philosophiae et AA. instituitur circa 8um Julij, vel citius. Hora 8. canitur musicum Sacrum de Spiritu Sancto. Hora 1^a Promotor et Candidati ex Metaphysica et Physica descendunt solemniter ad Aulam. Omnibus finitis canitur in eodem loco Te Deum laudamus. In hac promotione utraque Facultas utitur suo habitu Academico. Caeteros ritus habent statuta Philosophica. Rami, quibus ornant locum promotionis et aream, procurantur a bidello ideoque non cedunt Collegio.

N. 41. Pulsus.

Media semper hora ante initium lectionum et eorum quae in Gymnasio geruntur, datur signum aere campano prolixum, et dum per mediam horam conveniunt auditores, recitantur lectiones aut repetuntur, argumenta colliguntur, aut si dies sacer est, ad devotionem conciliandam unus aliquis toti Scholae librum Spiritualem praelegit, Praeceptore fere moderante. Hora ipsa qua lectio aut concio inchoanda et finienda est, item ad singula quamdiu docetur horarum interstitia, datur eadem Scholarum campana signum brevius. Quando superiores et inferiores Scholae non iisdem sed diversis horis habentur, datur ante utrasque signum prolixius initio. Omnia Exercitia Scholastica diriguntur ad horologium nostrum.

Pulsatur ad Scholas ordinarie mane medio 7^{ae}: a prandio hyeme medio 1^{ae}: a die Cinerum medio 2^{dae}. Diebus Sabbatinis et ijs profestis, quibus tantum sesquihora a prandio docetur, pulsatur medio 1^{ae}.

N. 42. Repetitiones.

§. 1. Repetitio quae succedit dictatae lectioni Scholasticae Theologicae, et mane Physicae, a prandio Metaphysicae, habetur semper per quadrantem et 1^o die a renovatis studijs, nec omittitur nisi tempus Scholarum abbrevietur, et in ea tantum lectio relegitur, aut moventur dubia a discipulis vel a Professore.

§. 2. Repetitio quae habetur de Theologia Scholastica a meridie, in Metaphysica ante prandium, in physica a prandio, in Logica utroque tempore, durat tota hora: et inchoatur in Scholis Philosophicis 1^o die; in Theologia 3^o die a renovatis studijs. Omittitur in Philosophia, quando docetur in ea una tantum hora. In Theologia sabbato, et Canicularibus, et quando est lectio unius tantum vel sesqui horae. In hac recitantur a duobus antepenultima et penultima lectio dictata; inde duo argumentantur respondentibus duobus: tempus quod superest servit

dubijs proponendis. Caetera quae concernunt repetitiones Nostrorum e Societate auditorum, vide in Catal. Colon.

§. 3. Repetitio Humaniorum Classium maxime spectat praecepta tam Graeca quam latina. itaque eo tempore Auctorum explicatione tantisper intermissa, exiguntur quotidie ex praeceptis lectiones maiores pensa tamen prosae et Carminis exsolvuntur ut alias: Declamationes etiam suum cursum tenent. Absoluto cuiusque Scholae Examine reditur ad pristinum docendi vel explicandi auctoris modum usque ad vacationes autumnales.

N. 43. Sacra.

§. 1. Ad Sacrum quotidie ducuntur discipuli, nisi aliter notetur, ordinarie Philosophi, Rhetores, Humanistae, Primani, post absolutas mane lectiones, ad diversa Philosophi et Humaniores. 2^dani et Tertiani et Infimistae hora 7. ordine semper inchoato ab inferiore Schola. Ex singulis Scholis minores statura antecedunt; proceriores sequuntur; bini omnes sine strepitu et fabulis.

§. 2. Sacro Musico quando cantatur, ordinarie intersunt Philosophi, Rhetores, Humanistae nisi aliter notetur.

§. 3. Quando vacatur toto die, hora 7^a. Sacrum audiunt, Philosophi, Rhetores, Humanistae, Infimistae. Grammatici ab aliquot annis propter augustias templi dato 1^o Campanae signo hora 7^a, audiunt (sic) Sacrum medio 8^{ae}. Quando Philosophi soli vacant toto die, cum Philosophis hora 7. Audiunt Sacrum Tertiani et Infimistae, caeteri post lectiones. Idem fit die disputationis menstruae a Januario ad Junium.

§. 4. Festis et Dominicis Grammatici ordinarie Sacrum audiunt hora 7. Reliqui hora 8^a. diebus tamen Rogationum, et quibusdam festis et alijs diebus alius ordo servandus notatur.

§. 5. Sacris inserviunt sua hebdomade singulae classes per ordinem. Faces in Sacris, vesperis, laudibus etc. quando gestandae sunt, ordinarie gestant Rhetores a Magistro designati et instructi, ijs absentibus eas gestant Logici.

N. 44. Scriptiones.

Quando pro Magistratu aut Examine scribitur, absolvitur Scriptio tempore Scholarum consueto. Quando pro Praemij scribitur, audito hora 7^a Sacro inchoatur Scriptio, et qui volunt, manent usque ad occasum solis, alijs post decimam abire permissis.

N. 45. Sermones Universitatis.

§. 1. Oratio habetur in Theologia festo S. Augustini de eius laudibus hora 7. a studioso Theologiae, et, si fieri potest, Baccalaureo. Intersunt ijdem, qui pridie festi S. Catharinae. Oratione finita itur ad Sacrum in templo eo ritu, quo ad Missam festo S. Joannis ante portam Lat. Vide N. 33. §. 1.

§. 2. Pridie S. Catharinae habetur panegyris de Sancta. vide supra festum S. Catharinae. N. 7.

N. 46. Sessio Discipulorum et Professorum.

§. 1. Discipuli in Scholis Humanioribus sedent secundum ordinem eruditionis, exceptis Religiosis et illustribus personis. In Philosophicis si placuerit eodem modo, vel secundum staturam.

§. 2. In disputatione, Dramate, declamatione etc., in quibus plures Scholae conveniunt, inferior sedet proxime cathedram vel theatrum, superiores remotius. in Concione Academica fit contrarium.

§. 3. In templo diebus profanis Metaphysici occupant subsellia in odeo, qui ijs excluduntur subsellia ante altare S. Crucis. Physici occupant alterum latus in odeo. Logici chorum templi, et praesentibus Rhetoribus vel Tertianis chori latus meridionale. Rhetores odeum, Humanistae locum ad subsellia utrumque in navi templi; Primani chorum. 2dani et Tertiani chorum. Infimistae mediam navim. Dominicis et festis diebus. Metaphysici et physici occupant odeum. Logici chori latus meridionale, Rhetores Septentrionale; Humanistae navim, Primani odeum. 2dani chorum. Tertiani Sacellum laterale, Infimistae navim. hic ordo servatur ordinarie, aliquando mutatur pro varia combinatione Scholarum praesentium in templo.

§. 4. Professores in disputatione, declamatione, Concione, sedent ex opposito vel latere discipulorum ad eos in officio continendos. In solemnibus actibus, nisi D. D. Externi prae et interveniant, a latere aulae meridionali post R. P. Rectorem sedent P. P. a Collegio invitati; in latere septentrionali post P. Praefectum iuxta ordinationes Metaphysicus, Physicus, Ethicus, Mathematicus, Logicus, Rhetor, Graecus, Humanista, Grammatici. Actus Promotionis et Dimissionis habent suum ordinem.

N. 47. Vacationis dies.

§. 1. Ordinaria dies Vacationis est dies Mercurij, nisi festum obstet: ea Theologi et Philosophi vacant tota, Humani-

ores post duarum horarum lectionem audiunt Sacrum, et vacant. Sed a Junio usque ad Octobrem vacant cum Theologis et Philosophis tota die. Eadem ratio vacandi est, quodocunque scribitur, esse vacatio ordinaria.

§. 2. Quando non est vacatio ordinaria, sed ex regula aut gratia superioris dicitur a meridie vacandum, tunc non detrahatur media hora lectioni matutinae, sed omnia in Theologia, Philosophia et caeteris Scholis mane sunt integra, sive id die Martis, sive Jovis, aut quocunque alio contingat.

§. 3. Vacationes generales omnium Classium incipiunt a die S. Michaëlis, cantato Te Deum, post Vesperas et durant usque ad festum SS. Simonis et Judae. quo die prolixiore aeris campani sono et aperto iterum Gymnasio revocantur et recolliguntur discipuli inferiorum Scholarum. Philosophi redeunt ad Sacrum de Spiritu Sancto in renovatione studiorum.

Circa Natalitia Servatoris vacant Theologi et Philosophi a Vigilia Nativitatis ad diem usque Circumcisionis Dni. A Dominica Palmarum vacant ijdem usque ad Dominicam in albis. A Vigilia Pentecostes vacant ijdem usque ad feriam tertiam. Feria quinta vacant omnes.

§. 4. Circa Vacationem hebdomadariam.

	Lunae aut Sabbati	Sive impeditum sive non impeditum sit hoc festum, procedit die Mercurij Vacatio ordinaria.
Si unum festum tantum occurrat in Septimana	Martis aut Veneris	Si non est hoc festum impeditum, non est alia vacatio secundum Regulas. Si est impeditum, servantur impedimenta, et vacatur secundum regulas Mercurij aut Jovis Vacatione ordinaria.
exempli gratia.	Mercurij aut Jovis	Si non est impeditum hoc festum, non est alia vacatio secundum regulas. Si est impeditum, servantur impedimenta, et vacatur iterum aequaliter ab omnibus aut Jovis aut Martis a meridie tantum ex responso Congregationis.

Festa impedita vocantur, quae solemnia sunt; vel quae habent mane Concionem aut Exhortationem, et a prandio Catechismum, et Vesperas vel laudes; vel denique habent Concionem seu Exhortationem mane, et a prandio laudes vel Vesperas. quae vero tantum habent Sacrum, impedita non sunt.

<p>Si duo Festa occurrant in una hebdomade.</p>	<p>Lunae et Sabbati</p>	<p>idque fiat duabus hebdomadis continenter, prima hebdomade nihil additur; sed 2da hebdomade secundum regulas datur Mercurij ordinaria vacatio.</p>
	<p>Mercurij et Jovis.</p>	<p>Si utrumque habeat Catechismum, alterutro die omittitur, altero habetur, si alterum tantum catechismum habet, manet.</p>
	<p>Martis et Veneris</p>	<p>Catechismus die Martis occurrens omittitur: qui occurrit die Veneris, habetur.</p>
<p>Sive impedita sive non impedita Secundum regulas non est alia vacatio</p>	<p>Lunae et Martis, vel Veneris et Sabbati, vel Lunae et Veneris, vel Martis et Sabbati.</p>	<p>Catechismus qui occurrit diebus Martis aut Veneris, omittitur: qui occurrit die lunae aut Sabbati servatur.</p>
<p>Si tamen ita incidant, ut sint simul</p>	<p>Lunae et Mercurij, vel Jovis et Sabbati, vel Lunae et Jovis, vel Mercurij et Sabbati.</p>	<p>Catechismus occurrens Mercurij, aut Jovis, omittitur: Lunae vel Sabbati, servatur.</p>
	<p>Martis et Mercurij, vel Jovis et Veneris, vel Martis et Jovis, vel Mercurij et Veneris.</p>	<p>Catechismus occurrens Mercurij aut Jovis, omittitur: occurrens vero Martis et Veneris, servatur.</p>